

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 73. (Neovidensis 1805. Nro. 70.)

*Ex Campis Elysiis
Colloquium Politicum vita functorum.*

Elysium -- Meum. -- Die veneris 13. Sept. 1805. (Neov. 30. Aug.)

Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis.

Ergo et in coelis honor a dextris.

Colloquentes:

Dextra, & sinistra manus.

Sinistra. Dilectissima soror; non puto, ut controvertas, si jus meum pro virili defendero.

Dextra. Jus tuum ais? Perpende, quæso, nullum esse in mundo majus jus, quam sit jus fortioris. Non ibis autem inficias, me esse fortiorem.

Sinistra. Id ego non negaverim, carissima sororum! Hoc facta Gingiskani, & Attilæ satis, superque probant. Sed dicito amabo, plusne inest virium dextro oculo, vel dextro pedi, quam sinistro?

Dextra. Quid mihi cum oculis, cum auribus, & pedibus; Me lege sancita consuetudo fecit fortiorem. Quis inquiret in omnia

primigenia jura? Tunc multis magnis Principibus exulandum esset de territorio. *Melior est conditio possidentis.*

Sinistra. Ut apparet, tu omnem superbiam, & ferocitatem potentiorum induisti.

Dextra. Ego ab orbe condito sum in possessione fortioris. Tu utique non propugnabis, Adamum, & Evam sinistros fuisse?

Sinistra. Id equidem nequeo; At, quamprimum mundus perpoliri cœpit, maximi Philosophorum acerrime oppugnarunt jus, quod tu ut dextra manus usurpas. Quanta contentione contra illud calamum strinxit Magnus Plato! Affirmat, injustum esse, proles ab usu sinistrae manus desvefacere. Plerique arbitrantur, inquit ille, naturam ratione manuum fecisse aliquam differentiam dextram inter, & sinistram. Quod pedes attinget, & generatim inferiorem corporis partem, in usu nullum intercedit discrimen; At in usu manuum imperitiastrarum nutrimum, ac matrum multum impedimur. Juxta naturam hæc membra ex utraque parte æqualibus prædita sunt viribus, sed nos ipsi per abusum, & malam consuetudinem inter utraque induximus dissimilitudinem. Quod utique in nonnullis casibus nullius est considerationis. Pace mea teneat quis fides manu sinistra, pedrum vero dextra, parum refert; Idem puta in aliis similibus rebus. Verum in his exemplis summam rei ponere, & in aliis rebus, quæ non sunt amplius indifferentes, idem facere, est fere insanire. Hac in re

potest nobis esse documento consuetudo Scytharum; Isti non tantum læva manu remouent arcum a corpore, & dextra attrahunt sagittas, sed utramque adhibent manum sine discrimine jam ad unum, jam ad aliud. Ab his discamus, contra naturam esse, magis debilitare sinistram, quam dextram manum. Horum omnium nutrices, & educatores curam habeant, oportet; Illæ inter ludendum, & comedendum, hi in cæteris occupationibus, ne ullus, sit vir, vel fœmina, quem natura integris manibus, & pedibus fornavit, nativam corporis constitutionem prava assuetudine corrumpat. Ita Plauto; & quis hodiernorum Philosophorum posset elegantius loqui?

Dextra. O rem gratissimam præstas, soror! laudando Platonem. In vicem hujus reddo fabulam de cancriis, qui suis catulis identidem inculcabant, ante progredierentur, nunquam retrorsum. Cum tamen eorum dicta factis non responderent, inde ab Æsopi temporibus nulla hucdum inventa est cancriorum familia, quæ hac ratione suos gressus instituisset. Idem obtinet etiam cum dextra, & sinistra manu; Interdum quidem reperies quempiam, qui utramque manum sciat dextre applicare, at populum, vel familiam, cujus posteri ambabus manibus æque fuissent usi, inde a doctrina Platonis demonstrabis nunquam.

Sinistra. Atque hoc est, Amantissima soror! quod jure accuso. A. 1777. hac de

materia excellens prodivit opus, quod inscriptum erat: *Litteræ supplices sinistrae manus ad erigendum educationis tribunal.* Hoc scriptum summa voluptate replevit orbem universum. Tempus illuxerat, quo ego, sinistra manus, in mea jura reponebar.

Dextra. Et quamdiu acta est comœdia?

Sinistra. Proh dolor! multum clamabatur, parum fiebat. Inventum placuit omnibus, sed uti bene meministi, cantata est fabula cancris.

Dextra. Mea potentia, atque vis ita firma jam, & stabilis est effecta, ut sine summa rerum confusione ea privari amplius nec possim. Non recordaris, Henricum IV. Galliarum Regem, ideo tantum quinque præclaros viros ex sua turma prætoriana dimisisse, quod læva manu usi sint pro dextra? Hoc equidem certum est, nec per accuratissimam Anatomiam posse aliquod discrimen deprehendi inter nervos, musculos, & vasa manus sinistrae, & dextræ, attamen communis consuetudo mihi præ te majorem indidit vim efficiendi. Cum enim ego plus, & fortius laborem, meque commoveam, eo etiam plus nutrimenti influit in mea vasa. Concipe animo, exempli gratia, exercitum, in quo multi sinistra, multi autem dextra bellarent, quanta hinc oriretur perturbatio! Quid autem judicas de tot instrumentis opificum, quæ pro fortiori dextra præparata sunt, nonne, ut utrique manui inserviant, deberent aliter fieri, aliter formari, imo duplicata

procurari? Præterea, si vires in utraque manu æqualiter essent divisæ, tunc, qui ex assumpta consuetudine sola dextrâ utitur, deberet semper illum superare, cujus vires in utraque pares sunt, nam hic in qualibet manu minore polleret fortitudine, atque ille in sua dextra.

Sinistra. Enimvero multo plura adhuc emolumenta consequi necesse est ex æquabili per utramque manum divisione virium, quibus enumerandis supersedeo, nam ante oculos omnium posita sunt.

Dextra. Omnia argumenta, quæ posses in tuam utilitatem adducere, quæve jam ab aliis inde a vetustissimis temporibus usque ad nostra prolata sunt, parum ad rem faciunt. Jam olim prærogativa honoris tributa est dextræ, inde sine dubio originem trahit præcedentia loci ad dextram. Cedimus dextram illustri loco natis, & est hæc humana honoris declaratio erga personas, quibus nostram cupimus exhibere observantiam. Hoc ita semper usu venit, & nunquam obliterabitur, quemadmodum itus cancerorum in fabula. Ad hunc itaque ordinem servandum jungamus manus. Lubet vi meæ prærogativæ apprehendere ephemerides, sed quid continent? sequentem memoratu dignam novitatem:

Ratisbona 11. Augusti Dominus Directorialis Legatus, Liber Baro de Albini, antequam Asciburgum concederet, singulari ratione institit apud hic residentes Legatos, ut

a suis Principalibus talem agendi facultatem impetrarent, vi cujus, quamprimum fuerint sessiones Comitiorum inchoatæ, illico de gravissimi momenti negotiis possit deliberari. In eo plane tacite conventum est, ut tempore etiam feriarum, si repentina urgeretur decisio, Comitia extra ordinem convocentur. — Et quod negotium facit necessarias istas sollicitudines? Conjectura est, bellum in continente; in quo imperium Germanicum optaret, ne ullas cogatur bellantium sequi partes.

Multo majoris adhuc considerationis est articulus in B. . Ephemeredibus contentus, Ratisbona de 25. Augusti. Ita autem sonat: Cæsareus Gallicus negotiorum gestor D. Bacher, hodie Legatus Ratisbonæ congregatis officiose declaravit; Cum Cæsareo - Regia Aula Viennensis pacifica sua erga Galliam sensa mutaverit, eamque a proposita contra Angliam expeditione per id retraxerit, eandem cogi ad immittendum in Germaniam exercitum, quo Ditiones Austriacas aggrediatur; Interea Imperium Germanicum habebitur ut neutrale.

Huc adhuc pertinet: — Juxta publicas relationes Elector Würtembergicus misit suum Status Ministrum, Liberum Baronem de Normann Monachium, intimum Consiliarium de Vucherer Berolinum, Dominum de Mandelslohe ad aliam Germanicam Aulam, & unum suorum Generalium Herbopolim cum propositionibus, quæ, ut fama fert, hodierna politica adjuncta concernunt.

Interea Parisinæ ephemerides, licet editæ sint 25. Augusti, nullam hac de re injiciunt mentionem. In officiosis hujus diei novis hæc tantum leguntur: *Bolonia* 23. hujus: Serenissimus Princeps Murat ab aliquot diebus hic loci moratur, ita etiam Cæsareæ Principes: Ludovica, & Carolina, atque juvenis Princeps Napoleon. Incolunt villam in valle *Liane* non procul ab habitatione Imperatoris dissitam.

Die Martis, 20. Augusti fuit Princeps Ludovica in oppido *Etaples*, ubi Generalis Loison coram ea produxit novum exercitium militare cum 6-ta, 39-na, 69-na & 76-ta legionibus. Mareschallus Ney hanc Principem brachio junctus circumduxit. Huc proxime venturus expectatur ipse Imperator, sex enim tantum, vel septem horarum spatio distat Bolonia.

Resolutio Problematis Nro 56. propositi.

Sit tota hæreditas 450 fl. = a , 7 = b , 5 = c , 3 = d ; rata matris = x , filiæ = y , erit filiorum rata = $a - x - y$.

His positis, stat 1) analogia, $x : y = d : c$, hinc $cx = dy$, & $x = \frac{dy}{c}$. 2) Cum filii duo sint, stat, $x : a - x - y = c : 2b$, hinc $2bx = ac - cx - cy$, & $2bx + cx = ac - cy$, unde est $x = \frac{ac - cy}{2b + c}$. Cum autem sit $x = x$, est

etiam $\frac{dy}{c} = \frac{ac - cy}{2b + c}$, hinc $2bdy + cdy = ac^2 - c^2y$, unde $2bdy + cdy + c^2y = ac^2$
 $\& y = \frac{ac^2}{2bd + cd + c^2} = \frac{450 \times 5^2}{2 \times 7 \times 3 + 5 \times 3 + 5^2}$
 $= 137\frac{5}{41} = 137 \text{ fl. } \& 11\frac{2}{41} \text{ xr.} = \text{ratæ filiæ.}$

Cum vero inventum sit $x = \frac{dy}{c}$, erit idem

$$x = \frac{d \times 137\frac{5}{41}}{c} = \frac{3 \times 137\frac{5}{41}}{5} = 82\frac{1}{41} = 82 \text{ fl. } \&$$

$19\frac{1}{41} \text{ xr.} = \text{ratæ matris.}$

Cum sit demum superius $a - x - y$, erit hic quoque, facta substitutione $450 - 82\frac{1}{41} - 137\frac{5}{41} = 230\frac{20}{41} = 230 \text{ fl. } \& 29\frac{1}{41} \text{ xr.} = \text{ratæ utriusque filii simul, } \& \text{ hinc rata cujuslibet filii seorsim} = 115\frac{1}{41} = 115 \text{ fl. } \& 14\frac{2}{41} \text{ cruciferis.}$

Demonstratio.

Nam: 1) Sicut superius stat $x : y = d : c$, ita hic quoque subsistit $82\frac{1}{41} : 137\frac{5}{41} = 3 : 5$; cum sit $82\frac{1}{41} \times 5 = 137\frac{5}{41} \times 3 = 411\frac{2}{41}$ q. e. primum.

2) Prout superius $x : a - x - y = c : 2b$, ita hic etiam stat $82\frac{1}{41} : 450 - 82\frac{1}{41} - 137\frac{5}{41} = 5 : 2 \times 7$; est enim $82\frac{1}{41} \times 2 \times 7 = (450 - 82\frac{1}{41} - 137\frac{5}{41}) 5 = 1152\frac{1}{41}$ q. e. secundum.

3) Quia $137\frac{5}{41} + 82\frac{1}{41} + 230\frac{20}{41} = 450$; quod erat tertium demonstrandum.

Josephus Barco,

Geometriæ practicans in Györvár.